



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Scientia Salvts, Sive Considerationes Piæ, Præcipuam  
Spiritualis Vitæ Materiam complectens**

**Laberhittel, Samuel**

**Ingolstadii, 1660**

134. Fer. 2. De bonis Beatorum in genere.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-59837](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-59837)

ad illa septem promissa veniam, ubi erit à  
mœrore consolatio, à labore requies, à servi-  
tute libertas, à timore securitas, à morte re-  
surrectio, à resurrectione summum plenû &  
indeficiens gaudium, ubi Deus dabit nobis  
seipsum, ita D. Aug. Lib. 2. Confess. cap. 17.

*Conf. 3.* Originem omnis hujus boni, quia  
*per me, si quis introierit, salvabitur, & ingre-*  
*dietur.* Greg. in Ezech. hom. 13. Ingredietur  
ad fidem, egredietur ad speciem, & pascua  
inveniet in æterna satietate. Ingressus & e-  
gressus phrasi Hebræâ significat omnia ne-  
goria hominis, juxta illud Psalm. 120. *Dom-*  
*inus custodiat introitum tuum, & exitum tuum,*  
id est, quidquid egeris, benedicat, & ad feli-  
cem exitum deducat. Rogabo Dominum.  
ut eum juxta D. Ambrosium sint *bona pascuæ*  
*divina Sacramenta,* Ser. 14. in Ps. 118. su-  
mendo ea, replear omni benedictione.

MEDITATIO CXXXIV.

Feria 2. post Dom. 2. post Pascha

*De bonis Beatorum in genere.*

**A**spiciam bona tria, quæ soli mundo no-  
ta, opes, voluptates, honores e cælis ex-  
clusa, & metaphoricè tantum in cælis con-  
tenta, ad explicandam ineffabilem Beato-  
rum felicitatem. Petam agnoscere hanc veri-  
tatem, & magis bona cæli æstimare.

*Conf. 1.*

*Conf. 1.* Quomodo corpus gloriosum sit sufficientissimum in se ipso: quia cum resurgat pro vita spirituali, & non animali, non habebit opus bonis externis huius vite ad eam ordinatis. Ideo dum eorum fit mentio in altera vita, metaphoricè intelligenda sunt, quocirca per cibum & potum intelligitur gaudium Beatorum, per divitias sufficientia Dei, per honores, honor Dei, per nuptias, unio cum Deo: **D E V S** enim Beato est omnia.

*Conf. 2.* Si tanta sunt bona cœli, ut bona terræ tantùm sint metaphorica, faciam argumentum ad magis amanda bona cœli vera, quàm amentur bona terræ, quæ tantùm sunt ficta: y.g. Avaritia quærebat terram possidere totam, addam illi & cœlum, sed plus est, qui fecit cœlum & terram. Ingluvies ventris, quid non appetebat etiam pudendum? *O stulti*, ait D. Laur. Justinianus de Spiritu, & anima, quia pro unius momenti saturanda ingluvie epulas contempserunt cœlestes. Honor, quo non efferebatur? sed eum refutat S. Fulgentius in c. 12 Luc. Si in seculo hoc datur tanta honoris dignitas diligentibus vanitatem, quanam præstabitur Sanctis diligentibus veritatem?

*Conf. 3.* Verba D. Augustini, Serm. 131. *De Verb. Dom. Dicebat Epicuram mihi, frui*  
carpe

*Feria 3. Dom. 2. post Pasce. 235*

*carne bonum est; dicebat Stoicus, mihi frui meâ  
mente bonum est; dicebat Apostolus, mihi an-  
imam adherere Deo bonum est. Errat Epicureus,  
fallitur Stoicus; tunc enim rectè anima vivit,  
si non secundùm carnem, non secundùm seipsam,  
sed secundùm Deum vivat: sicut enim anima  
carnis, ita Deus anima est vita: hanc unam  
petij, & requiram.*

**MEDITATIO CXXXV.**

*Feria 3. Domin. 2. post Pascha*

*De bonis Beatorum infallibilibus.*

**A**udiam fidèlem & oculatum testem de  
gloria aeterna loquentem: Sicut, inquit,  
scriptum est Isa. 64. v. 4. Quod oculus non vidit,  
nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit,  
quae preparavit Deus isrl, qui diligunt illum, no-  
bis autem revelavit Deus per Spiritum suum:  
Sed tam arcana verba, quae non licet hominè  
loqui, subdit Apostolus. Petam intelligere  
ineffabilitatem bonorum caelestium, & ad  
ea preparari.

*Conf. 2. Quomodo status Beatorum non  
tantùm excludat statum vitæ temporalis, de  
quo Gregorius hom. 37. in Evang. Tempo-  
ralis vita vita aeterna comparata Mors est potius  
quàm vita: juxta illud Apostoli ad Rom. 7.  
Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore  
mortis hujus? Sed insuper excludit omnem  
statum*